

CORIOLOANO CEPIO CLARISSIMO VIRO MARCO ANTONIO
MAUROCENO EQUITI APUD ILLUSTRISSIMUM DUCEM BUR-
GUNDIAE VENETORUM ORATORI FELICITATEM

Quom praefectus triremis ad classem proficiscerer,
5 quam felicissimus imperator Venetorum Petrus Moe-
nicus contra Othomanum, Turcorum principem, duce-
bat, vehementer rogasti me, ut, quicquid in hac expedi-
tione gestum esset, litteris mandarem, affirmans ea te
Apollinis oraculo veriora habiturum, quae a me scripta
10 forent. Igitur, ut tibi morem gererem, quae ab imperato-
re Mocenico per quadriennium gesta sunt annotavi: tan-
to enim tempore et ille imperium gessit, et ego praefec-
tura functus sum. Quapropter opusculum in quo haec
scripta sunt tibi mitto, quod cum perlegeris, non minus
15 te egregias imperatoris virtutes quam magnifica ipsius
gesta admiraturum certum habeo, meritoque damnabis
eorum sententiam, qui affirmare solent effeta esse na-
turam, nec producere tales viros quales priscis temporibus
extiterunt, omniaque mundo senescente degeneras-
20 se: quam falsi sint vel ex hoc maxime apparet. Nam si
apud Graecos atque Romanos multi ob singulas virtutes
clari habiti sunt, quid de Mocenico imperatore dicen-
dum sit? Cui quicquid potuit benigna natura efficere,
omnia simul contulit. Omitto genus clarum, formam
25 gravem atque regiam dignitatem prae se ferentem, elo-
quentiam promptam, ceterasque naturae dotes: de his
dico quae propriae hominis sunt. Est enim moribus inte-
ger, vita sanctus, in bello magnanimus, in devictos clemens,
in rebelles severus et asper, in subditos indulgens,
30 in omnes denique iustissimus, alieni abstinens, sui libera-
lis, et qui omnes cupiditates atque animi illecebras fa-
cillime spernit. Nonne ergo iure hunc virum non solum
conferre, verum etiam praeponere priscis illis imperato-

ribus atque ducibus debemus, gratiasque agere nostris temporibus, quae talem tantumque virum tulerunt? Et quoniam solent pictores alicuius egregi artificis, exactum signum atque imaginem ad imitandum proponere, ut tales ipsi evadere possint, quales auctores illius picturae fuerint, sic etiam huius optimi imperatoris clarissimique principis atque ducis mores et vitam te aemulari velim, ut, cum eius virtutes assecutus fueris, honores quoque ac dignitates, summum denique principatus gradum in re publica obtinere possis. Vale

LIBER PRIMUS

Quom Venetiis nuntiatum esset Othomanum, Turcorum principem, ingentibus copiis terra marique Euboiam invasisse, Chalcidemque, eiusdem insulae urbem, intra paucos dies expugnasse, omnesque insulas atque civitates Graeciae copiarum magnitudine Othomani perterritas, iam non in virtute, sed in fuga spem habere (nam classis Othomani numerum trecentarum navium expleverat, terrestres vero copiae centum et viginti milia militum excedebant), civitas trepida atque de statu rerum sollicita, etiam propriae saluti diffidere coepit. Tunc et supplicationes indictae, et vota publice privatimque suscepta, si status rei publicae integer maneret. Tum patres rogati conveniunt, fit frequens Senatus, graves atque variae sententiae dicuntur. Tandem nihil potius in re fore decernunt, quam eligere probatissimum imperatorem, qui et auctoritate sua labantes ac fractos animos sociorum et subditorum confirmaret, et virtute atque animi magnitudine tanto hosti obviam iret. Fit Senatus decretum, ut Nicolaus Canalis imperator revocetur, deinde omnibus suffragiis ad tale negotium idoneus imperator

designatur Petrus, clarissima familia Mocenica ortus, quae gens a primordiis ipsius urbis inter patricias familias semper habita est. De qua etiam multi clarissimi imperatores, navalis belli gloria viri illustres, fuere, Thomas denique inclitus Venetorum dux, qui ob magnitudinem rerum gestarum caelo et immortalitate dignus extitit. Petrus quoque ipse non minus ob vitae integritatem atque fidei sanctimoniam quam ob animi magnitudinem et belli peritiam clarus habetur. Quapropter et strenuus imperator senatorque optimus, et civis bonus semper existimatus est. Itaque accepto imperio, armata trireme festine atque sine mora navem conscendit, intraque paucos dies favonio flante Venetiis solvit, prosperaque navigatione usus non post multos dies in Graeciam venit. Posquam igitur ad eam provinciam delatus est, nihil antiquius ratus, quam fractos animos sociorum praesentia sua atque oratione confirmare, omnes insulas atque civitates Graeciae percurrit, benigna oratione civium deiectos ac prostratos animos erigit excitatque, affirmans non vera virtute, sed dolo Othomanum Chalcidem expugnasse, qui tanquam latro ex insidiis inopinantes atque imparatos aggressus erat, brevique se effecturum ut Othomanus ad sua tutanda, potius quam ad aliena rapienda, vires atque animum intendat. Ubi satis confirmatos omnium animos perspexit, navigationem Euboiam versus dirigit. Iamque fretum quod Euboiam a continenti dividit intraverat, quom offendit Nicolaum Canalem imperatorem, collecto undique magno numero navium distributisque ordinibus, Chalcidem aggredi atque oppugnare velle. Statuerat enim fortunam experiri, si quo pacto amissam urbem recuperare posset. Nicolaus, conspecta nave Mocenici (ex signis advertit successorem advenire), e vestigioque navi desiliens scapham ascendit, et ad Mocenicum venit. Ubi complexi atque

consalutati invicem sunt, Nicolaus: « Vides – inquit – optime imperator, vides magnitudinem classis, quam accitis undique navibus comparavi, omnibusque ad oppugnandam urbem necessariis instruxi. Praeterea distributis partibus praefectis ac turmarum ducibus, qua quisque
5 urbem oppugnaret ordines optime disposui. Quapropter magnam spem in manibus urbis recuperandae habes. Igitur trado tibi imperium: rem a me inceptam proseguere, absque dubio urbe potiturus ». Mocenicus vero,
10 rei publicae potius quam dignitatis suae habita ratione, ne adventu suo ipse novus, et consiliorum sui antecessoris ignarus, rem turbare videretur, respondit: « Nicolae, perge ut coepisti: dummodo rei publicae proficias, me vel socium vel comitem habeto, ad omnia munia a te mihi mandata paratum, modo urbem amissam recuperare
15 possis ». Nicolaus, nihil se agere velle respondens alienis auspiciis, imperio se abdicat. Tum Mocenicus Nicolaum potius magnifice quam ex animo locutum, conatusque frustra fieri advertit. Nam et copiae quas Nicolaus exposuerat, obtruncatis duobus praefectis triremium, in fugam versae; aliquot etiam naves tormentis, quas bombardas appellamus, fractae atque perforatae erant, quae vix
20 ne submergerentur se sustinebant. Itaque, amissa spe potiundae urbis, cuiuscunque generis naves, subitario apparatu excitas, omnes dimisit. Et quoniam, iam transacta aestate, hibernum tempus appetebat, cum reliqua classe navium longarum ad Peloponnesi urbes se recepit. Ibi enim statuit futurum expectare annum, habens in animo
25 adveniente aestate aliquod praeclarum facinus facere, quo posset acceptam cladem superiori anno amissae Euboeae resarcire. Interim tamen, et naves invalidas reficere, et alias circum Aegeas insulas mittere, ad confirmandos sociorum animos, operam dabat. Dum haec in Graecia aguntur, designantur Venetiis duo legati, viri aetate

graves, maritimique belli haud ignari: Marinus Malipetrus et Ludovicus Bembus, quorum consilio imperator in bello administrando uteretur. Qui, armatis triremibus, appetente vere ad imperatorem mature se conferunt,
5 cum eo simul quid aestate nova agendum, quidve esset potissimum, et ad opprimendum hostem et rei publicae statum confirmandum, deliberaturi. Ferdinandus quoque, Apuliae rex, ex foedere misit naves rostratas decem sub Rechaiensio duce, qui ex consilio imperatoris nostri
10 bellum contra Turcum gesturus esset. Othomanus, Turcorum princeps, veritus, opinor, ne ob amissam Euboiam christiani principes simul conspirarent belloque se opprimerent, experiri statuit, si quo pacto rem cum Venetis componere posset, vel, tempus trahendo, atrocitatem
15 Chalcidicae cladis lenire, usus opera atque ministerio novercae suae mulieris christianae, Georgii, olim Tribal-lorum dispotae, filiae. Quae, cognita privigni voluntate, ex suis domesticis fidiorem Venetias misit, cui mandat daret operam ut Veneti legatos ad Turcum mittant, affirmans, si venerint, ex sententia rem composituros esse.
20 Mittuntur ergo duo legati, Nicolaus Coccus et Franciscus Capellus, qui consensa navi primum ad dispotae filiam, quae in quodam vico Macedoniae a privigno ei dato tunc manebat, inde, allocuti mulierem, terrestri itinere
25 Bizantium se conferunt, ubi, salutato ex more gentis Turcorum principe, reliqua per internuntios agunt. Et cum de condicionibus non convenirent, legati per litteras quas pacis condiciones Turcus offerret Senatum certiore reddunt. Veneti reiectis conditionibus ex Senatus
30 decreto legatos domum revocant. Interim Franciscus Capellus febri correptus moritur. Nicolaus, alter legatus, primum piscatoria navicula Lemnum, inde, nactus Venetam triremem, Cretam se contulit. Dum legati profici-scuntur, dum de conditionibus agitur in mittendis etiam

atque remittendis litteris, tota aestas effluxit. Qua, etsi
 imperator cupiditate arderet patrare aliquod egregium
 facinus, et se et suorum maiorum gloria dignum, dissua-
 dentibus tamen legatis nihil actum est. Verebantur enim
 5 ne barbarus hostis, bello lacessitus, oratoribus, viris nobi-
 libus atque innoxiiis, manus inferret. Igitur, iam instante
 hieme, dux regiae classis Neapolim ad regem se recepit.
 Marinus quoque Malipetrus cum Ludovico Bembo lega-
 ti domum revocantur. Veneti, de compositione rerum
 10 cum Turco spe reiecta, in sequentem annum bello se
 praeparare statuunt. Mittuntur ergo oratores, primum
 ad Romanum Pontificem, deinde ad regem Ferdinan-
 dum, quatenus eos monerent suaderentque ut ad oppri-
 mendum communem hostem pestemque perniciosissi-
 15 mam christianae religionis animum atque vires inten-
 dant. Pontifex accepta benigne legatione, se pro virili sua
 non defuturum promisit. Ferdinandus quoque rex sum-
 mo studio navare operam in annum futurum pollicitus
 est. Imperator etiam misit nuntios cum litteris et ad ma-
 20 gistrum Rhodiae religionis et ad regem Cyprium, ut ve-
 re ineunte bello se praeparent, navesque ex foedere de-
 bitas mitterent. Interea ipse cum classe circum Aegeas
 insulas obnavigat. Timebat enim ne hostis, nactus op-
 portunitatem, aliquam ex foederatis ac subditis insulis
 25 opprimeret: nam multa in eis oppida debilia ac male mu-
 nita sunt. Dum in his locis cum classe moratur, accepit
 vicum Ioniae opulentissimum temere sine praesidio es-
 se. Situs est in continenti, ex adverso Chiorum oppido
 (Passagium incolae vocant), in quem totius paene Asiae
 30 provinciae merces comportantur, inde Chium devehun-
 tur. Ea urbs his temporibus, sub Genuensium ditione si-
 mul cum insula posita, omnibus fere Italiae populis com-
 mune emporium est. Quapropter Passagium et frequen-
 tibus habitatoribus, et tabernae in eo mercibus repletae

sunt. Igitur sublucano tempore imperator cum classe ad
 litus vico proximum applicuit. Ibi milites exposuit ac na-
 vales socios, quibus addidit etiam non parvam partem
 turbae remigum, omnibusque praefecit magistrum suae
 5 navis, quem vulgo comitum appellant, qui e vestigio in-
 structa ac disposita acie velocissimo gradu ad vicum ten-
 dit. Coloni ac vici habitatores, subito hoste ac insperato
 malo perterriti, ad proximos montes diffugiunt. Nostri
 vicum habitatoribus vacuum, sed omni barbara merce
 10 refertum, intrant, diripiunt, distrahuntque omnia; pictis
 tapetis, versicolori ac serica veste, pannoque hircinae la-
 nae, quem zambilotum dicunt, et omni alia pretiosissima
 merce se onerant. Caetera, ferre non valentes, cum tectis
 supposito igne comburunt, praedamque omnem ad na-
 15 ves referunt. Imperator ditata classe ad reficiendas naves
 in hiberna Methonam se recepit: brumae enim tunc erat
 tempus, annique pars saevissima. Nec Methonae illi
 multos dies manere licuit. Motus enim crebris rumori-
 bus, qui de Turcorum classe ferebantur, Lemnum versus
 20 navigare statuit. Erat autem fama Othomanum ad occu-
 pandam eam insulam quadraginta triremes optime in-
 structas praeparasse. Itaque imperator, paratis necessariis
 acceptoque commeatu, velocissimo cursu cum tota clas-
 se Lemnum se contulit. Comperit ibi de Othomani clas-
 25 se rumorem falsum fuisse. Lemnos insula duo oppida ha-
 bet: Paleocastrum et Cocinum appellant. Cocinum ter-
 raemotu quassum funditus corruebat, maxima etiam pars
 murorum ac turrium Paleocastri, quae imperator sum-
 mo studio reficere ac restituere curavit, praesidiumque
 30 militum quos ex Peloponneso adduxerat oppido impo-
 suit, compositisque insulae rebus inde solvens Metho-
 nam reversus est. Dum illic naves reficere necessariaque
 ad bellum parare studet, Venetiis designantur duo legati,
 viri ob res gestas domi forisque clarissimi, Stephanus

Malipetrus et Victor Soprantius, qui sumpto magistratu
naves conscendunt, ad imperatoremque se mature con-
ferunt. Ubi, habito simul colloquio, communi consensu
statuunt praeter navales copias decem equites in singulas
5 naves accipere. Per omnes enim urbes Peloponnesi quae
Venetorum sociae ac subditae sunt, habent Veneti mer-
cenarios equites natione Epirotas, quos Graeco verbo
Stratiotas vocant, viros magni animi et ad omne facinus
peragendum paratos, qui, crebris excursionibus totam il-
10 lam partem Peloponnesi quae Othomano subiecta est
devastantes, paene ad solitudinem redegerunt. Haec
gens, natura ipsa hoc illi tribuente, est rapacissima, ma-
gisque ad praedam quam ad proelium apta atque instruc-
ta. Utuntur scuto, ense atque hasta; pauci lorica, reliqui
15 bombicina thorace contra hostium arma se muniunt.
Equos etiam exectos ad sustinendos vel longissimos cur-
sus aptos habent. Prae caeteris, tamen, virtute et exerci-
tatione pollent qui Neapolim inhabitant: civitas est Pello-
ponnesi in Argivorum agro sita. Igitur imperator et legati
20 simul cum tota classe Neapolim se conferunt, equites na-
vibus imponunt, inde ad excurrendas ac depraedandas
Asiae maritimas provincias totis viribus contendunt.
Graecas autem provincias atque insulas Othomano sub-
ditas imperator nunquam vel minimo damno afficere
25 voluit, quoniam, praeter praesidia atque magistratus ab
Othomano impositos, populi omnes christiani sunt. Asia
vero provincia tota barbara atque infidelis, Machometae-
naeque superstitioni dedita ac devicta est. Quapropter,
totam Graeciam praeternavigans, Lesbum venit, atque
30 ad orientale promontorium insulae, quoniam ea pars ha-
bitatoribus vacua erat, habens portum tutissimum, cum
tota classe se contulit. Ex opposito est Aeolia, regio opu-
lentissima, habens oppidum maritimum Castri appella-
tum, situm in agro Pergameno. Pergamus fuit olim civi-

tas in tota Asia celebrata, in qua primum usus chartae ex
pellibus caprinis inventus est: quamobrem et pergame-
nae dictae sunt. Huius urbis reges maiori parti Asiae im-
peritarunt, quorum ultimus Attalus Philopater Roma-
5 num populum heredem instituit. Nunc vix vestigia qui-
dem tantae urbis apparent. Ager tamen propter fertilita-
tem frequentibus vicis habitatur. Itaque intempesta noc-
te Lesbo solvens, ad ulteriora litora summo mane venit.
Expositis equitibus, magna etiam parte navalium copia-
10 rum, omnibus praeposuit Iacobum Parisotum magi-
strum classis, quem vulgari ac vernaculo sermone armi-
raliam dicimus. Huius officium est cursum navigationis
dirigere ac disponere, navali etiam turbae ius reddere, et
ob levia delicta in eos animadvertere: graviora vero pec-
15 cata puniendi imperatoris munus est. Quo duce ac prae-
fecto posthac imperator ad omnes excursions usus est.
Igitur dux, locato ad subsidia idoneo numero equitum,
additis etiam navalibus sociis ac militibus, caeteros om-
nes ad depopulandum agrum misit. Qui, veluti e carceri-
20 bus missi, citatissimo cursu omnes vicos circumiacentes
excurrunt, magnum numerum mortalium capiunt, om-
nium pecorum greges agunt. Praeterea varia suppellectili
se ac armenta onerant. Dum nostri cum praeda rever-
tuntur, equites hostium ex proximis locis exciti simul
25 coeunt. Nam, qui manus nostrorum effugerant, clamori-
bus atque ululatibus omnia compleverant. Itaque cuneo
facto hostes, prius edito magno clamore, sperantes prae-
dam recuperare posse nostros aggrediuntur. Nostri vero
equites, conversis equis, magno impetu proelium
30 ineunt. Obtruncatis multis ex hostibus, caeteros in fu-
gam vertunt. Itaque omnis praeda ad naves reducitur.
Equites interfectorum hostium capita imperatori offe-
runt, singulos aureos in singula capita accepturi. Nam
imperator promiserat unicuique interfecti hostis caput

deferenti aureum se soluturum, quod semper postea servatum est. Imperator, oneratis praeda navibus, ad quandam insulam desertam ac portuosam, quam nunc Sanctam Panaiam vocant, quae inter Chium ac continentem
 5 sita est, se recepit. Ibi omnem praedam exposuit, elegitque tres quaestores ex praefectis navium, duos Venetos, tertium Dalmatam, quem morem etiam creandorum quaestorum semper tenuit. Quaestores vero primum
 10 decimam totius praedae, iuxta antiquissimum morem, Venetorum imperatori dant; equites ex praeda per eos capta, factis partibus, duas pro se retinent, tertiam quaestoribus assignant; ita enim cum imperatore conveniant. Captivi autem omnes, quos navalis turba ceperat, quaestoribus traduntur, quos omnes posita hasta sub corona
 15 vendunt. Deinde pecuniam hoc modo distribuunt: primum omnibus ex navalibus, qui hostem captivum adduxerant, tres aurei dantur, deinde impensae victus equitum, quas praefecti navium fecerant, solvuntur, reliqua pecunia aequis portionibus in naves dividitur. Legatis
 20 vero, quantum singulae naves acceperant, duplum datur. Praefecti acceptam pecuniam, portionem tertiam sibi retinentes, reliquam inter navalem turbam pro conditione hominum dividunt. Quibus expeditis, imperator nocturna navigatione ad insulas Cariae adiacentes venit,
 25 depopulaturus eam partem regionis quae olim Gnidiorum ager fuerat. Gnidus autem fuit civitas Cariae propter duos portus ac navalia clara et celebris. Cuius, dirutae et eversae, multa monumenta etiam nunc extant. Nam et theatri aedificium, et tectorum ac templorum quadrati
 30 lapidis moenia semiruta et disiecta visuntur. Ager quoque, absque alia mitiori cultura, a pastoribus tantum habitatur. Igitur imperator sub lucem ad quendam sinum illius regionis Barbanicola vocatum applicuit. E vestigio emissi equites ac navalis turba absque ordine omnia per-

currunt, maximum numerum hominum cuiusque aetatis ac sexus capiunt, praeterea pecoris quantum ad usum satis, nemine resistente, accipitur; aliarum rerum, praeter paucos tapetas et centones, nihil. Ex centonibus enim
 5 illa gens et tabernacula portatu facilia – quoniam stationes pascendi pecoris gratia saepe mutant – et culcitrae dormiendi causa faciunt. Imperator imposita in naves omni praeda ad Delon insulam venit. Haec olim ob insigne Apollinis templum et sacrorum ceremonias conventibus universae Graeciae celebrata fuit, nunc deserta ac
 10 inhabitata est. Extant tamen templi et amphitheatri vestigia albi marmoris, columnarum quoque ac signorum maximus numerus. colossus etiam cubitorum quindecim, cum hac inscriptione: Νᾶξος Ἀπόλλωνι. Sunt et cisternae multae mirae magnitudinis, etiam nunc aquarum plenae. Hic per quaestores ex instituto omnis praeda
 15 divisa est; deinde facta licitatione captivi venduntur, pecuniaque redacta ex consuetudine dividitur. Quibus peractis imperator, quoniam commeatus classi defecerant, ad Peloponnesi urbes divertit. Inter navigandum
 20 vero, ad Maleum promontorium Rechaiensius, regiae classis dux, cum decem septem triremibus ei occurrit. Ubi, nauticorum more celeumate ac signis invicem consalutati, simul Methonam veniunt. Ibi imperator accepit
 25 Cardinalem quoque, legatum Pontificis Romani, cum classe advenire. Deinde, acceptis cibariis, simul cum regio duce ad insulas Asiae adiacentes mature se contulit. Habent Rhodii oppidum opere ac defensoribus munitissimum ac inexpugnabile, quod Castellum Sancti Petri
 30 vocant, situm in ea parte Cariae quae Coos insulae opposita est, ad quod multi christianorum, servitutem Turcorum fugientes, ex tota Asia quotidie se conferunt, et quoniam extra munitiones hostis omnia tenet, oppidanis ne lignandi quidem gratia exire licet. Hic mira de canum

sagacitate ac solertia narrantur. Habent enim oppidani ultra quinquaginta canes, quos nocte extra munitiones tenent, ad quos si quis christianorum pervenerit, benigne excipiunt et cum plausu ad oppidum ducunt, si vero
 5 in hostem inciderint, latratibus persequuntur et dilacerant. Et si cui haec mira ac incredibilia videntur, legat Plinium in Naturali Historia, qui de hoc animali multa maiora tradidit. Quapropter imperator, ut oppidanis ad necessaria exire atque evagari longius facultas daretur,
 10 circumiacentes vicos oppido depopulari statuit. Ergo tota nocte navigans, dum adhuc tenebrae essent, ad litora oppido proxima venit. Sed, cum advertisset vel minimam partem navium secum esse, nihil agendo diem operiri statuit. Silentio enim lunae nox obscura erat; impedientibus etiam cursum nonnullis scopulis, rectores
 15 navium per errorem alia ex parte cuiusdam promontorii naves appulerant. Sed cum iam illuxisset, praefecti, advertentes imperatorem secum non esse, solutis funibus ac sublatis ancoris, promontorium circumremigantes
 20 mature se ad imperatorem conferunt. Imperator ilico exponere equites partemque turbae navalis iubet. Iamque diei hora prima erat; incolae visa classe imbellem turbam ad montes fugere cogunt, ipsi se ad conserendam manum cum hoste praeparant, viribus ac asperitate loci
 25 freti. Hi enim viri propter assiduas cum oppidanis conserationes prae caeteris Asiaticis virtute pollent. Nostri, visa adversariorum audacia, instructi procedunt, et cum ad iactum lapidis iam ventum esset, magno clamore ab utraque parte edito infestis armis concurrunt. Atrox
 30 proelium committitur. Equites, impedientibus praeruptis saxis, nostris non multum auxilio fuere. Navales vero socii ac milites eminens plumbea glande tormento emissa et sagittis, cominus ense et hasta hostem feriunt. Hostis quoque missilibus, quibus maxime praevalebat, nostro-

rum multos sauciat. Stetit aliquantulum anceps proelium. Tandem nostri, et numero et virtutes superantes, obtruncatis multis hostem in fugam vertunt. Multi vivi capiuntur, caeteri ad praeruptos montes atque invios anfractus se recipiunt. Nostri, fuis fugatisque hostibus, per
 5 omnes vicos ad depraedandum discurrent, ferro ignique cuncta devastantes. Itaque depraedatis omnibus, maxime tapetis onusti, ad naves redeunt. Nam in his locis mulieres praecipue sunt operariae tapetorumque textrices,
 10 quae non solum ad usum, sed etiam ad mercaturam operam suam exercent. Homines pauci, praeter aliquot mulieres, quae asportandi sua cupidae non aufugerant, capiuntur. Allata sunt imperatori hostium capita absque numero; hostes vivi in proelio capti quam plurimi. Ex
 15 nostris desideratus nemo, sagittis vulnerati ad quinquaginta sunt. Quarta deinde die ad quendam locum Cariae, qui nunc Tabia dicitur, summo diluculo venit. Ibi coeuntia ex utroque latere maria magnam partem Cariae peninsula efficiunt. Ager Alicarnasseorum olim erat,
 20 quae civitas fuit regia principum Cariae, in qua Artemisia regina Mausolo viro suo monumentum mirae magnitudinis ac opere insigne construxit, quod et ex viri nomine Mausoleum appellavit, et postea inter septem mirabilia mundi connumeratum est; ex quo etiam omnia monu-
 25 numenta praeclara Mausolea dicta sunt. Cuius nos inter urbis ruinas vestigia vidimus. In his locis homines, ignavi et ab agricultura abhorrentes, pastoriciam exercent. Itaque equites ac pedites expositi cursim omnia peragunt. Praedam ingentem hominum ac pecorum agunt, quam
 30 absque mora ad naves adducunt. Assumpta ergo imperator in naves praeda, ad insulam inhabitatam, cui Caprae nomen est, venit. Ibi, ex instituto iam more, praeda omnis per quaestores novos divisa, deinde posita hasta captivi venditi, et pecunia distributa est. Nam mos erat

imperatori novae praedae novos quaestores designare.
 Dum haec aguntur, nuntiatum est legatum Pontificis
 cum classe adesse. Igitur imperator instructa armis si-
 gnisque ornata classe obviam ei procedit. Cui occurrens
 5 ipse et tota classis, celeumate ac caeteris quae laetitiam
 animi exprimere et ostendere solent, legati adventum
 excipiunt. Deinde imperator ad legatum se contulit.
 Quo salutato: « Audisti – inquit – forsitan ac legisti, op-
 time pater, multa quae Senatus Venetus pro fide christia-
 10 na ac libertate Ecclesiae strenue et magnifice gesserit;
 nunc etiam vides. Nonus enim iam annus volvitur ex
 quo Veneti, caeteris principibus christianis torpentibus,
 praeter Ferdinandum regem, grave et periculosum bel-
 lum gerunt ac sustinent. Nec nos paenitet laborum et
 15 impensae, modo rei publicae christianae profuturi si-
 mus. Quoniam igitur his diebus Aeoliam atque Cariam,
 opulentissimas barbari hostis regiones, omnia ferro igne-
 que prosternendo pecore ac colonis expoliavi, nunc, quia
 ades, tuo ductu atque auspiciis caetera agentur ». Tum
 20 Cardinalis: « Et legi et audiui et etiam nunc video, egre-
 gie imperator, Venetorum animum in defendenda reli-
 gione christiana supra omnes reges ac principes praeci-
 puum fuisse, Venetosque suis armis multas christiano-
 rum gentes ac provincias a barbarorum rabie defendisse.
 25 Tu quoque, magis quam caeteri imperatores, operam na-
 vasti, audaciamque rabidi hostis tua virtute fregisti. Igi-
 tur macte virtute, ad reliqua agenda strenue perge. Ego
 autem (ut par est hominem religiosum) supplici oratione
 deum optimum maximumque precabor, ut tibi felices
 30 successus tribuat. Copias vero quas adduxi tuum impe-
 rium sequentur ». Venit ad eos et regius dux: ipse enim
 cum sua classe aderat. Itaque, simul collocuti, Samum di-
 vertunt, ibi deliberaturi quid potissimum agendum sit.
 Samos insula deserta est; olim ob fertilitatem celebratis-

sima fuit, nunc feris tantum cuiusque generis referta,
 mellis quoque silvestris per silvas passim abundans, aquis
 etiam dulcissimis undique scatens. Hic equos caeteras-
 que copias ad resumendas vires atque animi laxandi gra-
 5 tia exponunt. Milites ac turba omnis venationi incumbit:
 per saltusque ac ferarum latibula discurrunt. Dum variae
 ferae capiuntur, adolescens quidam, Dalmata natione et
 lingua, urso mirae magnitudinis occurrit, dumque eum
 venabulo transfigere studet, ursus vitato ictu adolescen-
 10 tem occupat atque prosternit. Iuvenis praesenti animo
 ambas auriculas eius manibus apprehendit, caputque fe-
 rae a se tam diu remotum tenuit, ne ab ea dentibus lace-
 raretur, quoad alter adolescens eiusdem gentis accurrens
 ursum a tergo gladio interemit. Cadit itaque ubique ma-
 15 gnus numerus ferarum; tota classis venatione repletur.
 Aguntur festi dies; gregalis turba epulis ac vino indulget,
 praecipue Illyrici, quorum inter navales copias maximus
 numerus est. Pateris vina propinant, canticis ad biben-
 dum socios invitantes. Ubi ad satietatem repleti sunt,
 20 actorum memores, unusquisque operam suam iactando
 magnifice extollit. Solent enim rebus bene gestis etiam
 ignavi gloriari. Interim principes congregati, quid potis-
 simum agendum sit, consultant. Tum ex communi sen-
 tentia Attaliam, Pamphiliae urbem, quae ab Attalo Phila-
 25 delpho condita est, subitario apparatu oppugnare sta-
 tuunt, sperantes, si de repente improvisam aggrederen-
 tur, absque bombardis et murorum deiectione urbe poti-
 ri. Attalia urbs est litoralis, omnium maritimarum Asiae
 provinciae maxima, habens portum multis turribus ab
 30 utroque latere munitum et catena clausum: propterea
 Aegyptiis ac Syriis mercatoribus celebrata. Quamobrem
 toti provinciae commune emporium est. Igitur impera-
 tor praefectos navium ad se vocat, uti scalas et crates bi-
 nas aut ternas in naves conficerent iubet. Quibus strenue

paratis Samo solvit; zephyro flante Rhodum praeternavigans velocissimo cursu ad insulas Chelidonias delatus est. Rhodii quoque duas triremes in auxilium mittunt. Erat autem numerus universae classis navium octuaginta
5 quinque. Ex quibus Pontifex decem et novem miserat, regiae decem et septem erant, Rhodiae duae, Venetae quadraginta et septem, in quibus Dalmaticae duodecim. Nonnullae ex Venetis, ad munia obeunda ab imperatore eis demandata, aberant. Hic imperator inito navium numero ad urbem tendit. Distabat autem milia passuum sexaginta, hora erat diei fere decima. Itaque tota insequenti nocte adverso vento remigando, hora diei tertia ad litus urbi proximum classem appulit. Hinc Victorem Soprantium legatum cum decem navibus, ut portum oppidi capiat, mittit; Stephano Malipetro, altero legato, cum reliquis navalibus copiis a parte continentis urbem oppugnare iubet. Equitibus mandat ut proximum collem urbi praesidii causa capiant. Omnes monet essent memores
15 pristinae virtutis, pugnaturi contra barbarum hostem imbellem atque imparatum pro religione christiana ac maiestate Veneti imperii, ostendens urbem opulentissimam auro, argento, pretiosaque suppellectili refertam. Quam si caperent, divites domum esse redituros affirmat. Omnes alacri animo orationem imperatoris accipiunt. Quibus dimissis, ipse cum legato Pontificis ac regio duce in navi se continet, inde, si qua necessaria postea forent, subministraturus. Equites ergo velocissimo cursu omnia excurrunt, praedam hominum ac pecorum agunt, deinde ad collem sibi demonstratum se conferunt.
20 Victor Soprantius, impulsa remis nave, celeri cursu ad portum venit, ac primus magno impetu ingruentibus undique bombardis, telis ac sagittis, catenam fregit atque portum intrat. Subsequuntur reliquae naves. Nostri quam primum turres omnes, quae circa portum erant,

trucidatis defensoribus capiunt. Erat extra muros ad portum suburbium optime aedificatum, in quo habitabant maxime mercatores exponendarum atque imponendarum in naves mercium commodi gratia, qui omnes visa
5 classe, subito malo perterriti, relictis omnibus in urbem confugerant. Erant tabernae pipere, cinnamomo, caryophyllo, ture, tapetis et alia omnifaria merce plenae. Nostri, desilientes e navibus, mature omnia diripiunt, praedamque in naves imponunt, deinde supposito igne tecta omnia concremant. Et quia ob altitudinem murorum urbem scalis oppugnare nulla spes erat, muros suffodere tentant. Rhodius praefectus cum suis militibus ad portam urbis accedit, dolabris ac securibus portarum claustra frangere ac deicere aggressus. Interim oppidani
15 ex opposito portas muro obstruunt sagittisque ac aliis missilibus desuper nostros feriunt, saxa maximi ponderis demittunt. Praefectus Rhodiorum, dum acriter operi instat, ingenti saxo ictus conteritur, quem sui mortuum e vestigio ad naves referunt. Ignis, conflagentibus tectis ac impellente vento, nostros perturbat et ab oppugnatione summovet. Interim a parte continentis Stephanus Malipetrus urbem corona cinxerat, atque ad muros militem admovent. Erat urbs ab ea parte duplici muro ac fossa munita. Nostri autem admotis scalis interfectis defensoribus strenue primos muros capiunt. Ubi ad secundos
20 ventum est, scalae non dimidiam murorum altitudinem aequare potuerant: tunc, desperata scalis expugnatione, trabes undique muro apponunt, cratibus desuper iactis contegunt. Quibus paratis, nostri crates subeunt ac muros suffodiunt. Ad portas etiam urbis, quae occidentem spectant, ligna, taedam et aliam aridam materiam coacervantes apponunt, et igne supposito claustra lignea portarum comburunt. At oppidani has quoque validissimo muro muniunt, alii per muros discurrent, saxa et alia

pondera in suffodientes muros devolvunt, sulfur ac picem ardentem ad comburendas crates, quae nostros a saxis defendebant, demittunt. Tum nostri milites eminus sagittis ac glande plumbea tormento excussa oppidanos a
5 defensione murorum deturbare tentant, multos vulnerant ac interficiunt. Oppidani etiam bombardis et aliis missilibus in nostros pugnant. Nonnulli saucii ex nostris cadunt, atrox pugna ubique committitur. Legatus obequitans instat, hortatur, ut rem strenue gerant obtestans.
10 Praefecti quoque navium omnes pro virili suam operam navare student, et munia sibi demandata strenue exequuntur. Erat in urbe mulier christiana, Illyrica natione, multis annis in servitute vitam degens, quae, per muros discurrens, sicubi nostros cessare ac remitte rem agere animadverterat, increpabat: « Quid cessatis, viri? Vultisne urbem opulentissimam atque omni barbara gaza refertam maleque munitam ignavia atque secordia vestra relinquere? Iam maximam partem defensorum vestris armis confossam esse affirmo ». Quam cum barbarus
20 quidam sic loquentem audisset, obiurgare coepit ac flagra interminari. Illa, periculi oblita atque quemcunque exitum fortuna datura esset «subire parata», secunda vestem componit ac ex muro desiliit, quam semivivam nostri excipiunt. Illa, Christo animam commendans, inter
25 manus nostrorum expirat. Itaque mulier egregia servitute, quam viva non potuit, moriens effugit. Nostri exanime corpus sepeliunt. Dum a nostris pro gloria ac cupiditate potiundae civitatis, ab hostibus pro patria, libertate, coniugibus ac liberis ubique acerrime res geritur, nox
30 interveniens pugnam dirimit. Legati ad classem redeunt, relicto ad urbem idoneo praesidio, ne quis exire aut intrare urbem posset. Principes ad legatorum adventum coeunt. Legati acta referunt, simul edocent urbem praealto muro ac valido undique munitam et defensori-

bus satis instructam esse; propterea sine bombardis, quibus muri prosternerentur, potiundae urbis nullam spem esse. Et quoniam iam hibernum tempus appropinquabat, et ad vehendas ex Peloponneso bombardas multorum
5 dierum erat opus, nec classis absque portu tuto manere poterat (nam tota ora Pamphylicae importuosa est, unicum urbis portum habens, vix quindecim navium capacem, sinusque Pamphylicae apertus ac expositus, maxime quoque vulturno et austro, qui venti praecipue Pamphylion mari saevire solent), igitur, ex communi sententia, decernunt in crastinum obsidionem solvere et devastatis omnibus, quae extra urbem sunt, inde recedere. Erant autem suburbana magnificis tectis aedificata et quae frequentibus villis speciosae urbis faciem prae se ferebant.
10 Horti quoque erant arboribus pomiferis egregie exculti, ac fontibus undique manantibus irrigui. Nostri itaque sequenti die, igne supposito, tecta comburunt, arbores ferro succidunt, cuncta prosternendo devastant. Quibus impigre peractis, imperator inde solvens intra paucos
20 dies Rhodum venit. Qui dum Rhodi esset, advenit Usanasani, regis Persarum, orator, qui, Cardinalem ac imperatorem et reliquos principes classis adiens, narrat suasionibus ac monitis Katarini Zeni, viri patricii, Venetorum oratoris, regem Persarum ad opprimendum Othomanum in expeditione esse, et iam eius duces cum expedita manu magna audacia Armeniam minorem Othomano subditam invasisse, Tocatque, validissimam urbem eiusdem regionis, et nonnulla alia oppida cepisse. Deinde affirmat Persas equis, viris satis superque abundare; Persas
25 quoque hasta, ense, sagittis ad pugnam idoneos, caeterum reliqui instrumenti bellici ignaros atque expertes esse. Proinde Pontificem Romanum, Venetos atque alios principes christianos se adire velle dicit, oraturus uti regem suum tormentis, ad expugnandas urbes et ad

summovendum eminus hostem necessariis, iuvarent. Cardinalis ac imperator cum reliquis principibus oratoris verba benigne accipiunt, et ad impetranda quae petebat bene sperare iubent. Insuper validissimam classem viris
 5 atque armis optime instructam ostentant, affirmantes ad omnem nutum regi Persarum ubique praesto esse futuram. Itaque dimisso oratore se ad agendum, quoad per tempestates liceret, praeparant. Est ex parte occidentis oppidi Sancti Petri, de quo supra mentionem fecimus,
 10 Termerium, Myndiorum promontorium, multa milia passuum in mare excurrans versus Coum insulam: regio aprica, ventis omnibus pervia, vinetis atque olivetis caeterisque arboribus fructiferis optime consita, frequentibus quoque vicis bene habitata. In qua regione viri tan-
 15 tum in praesens per autumnii tempora colligendorum fructuum gratia remanserant. Nam, propter belli metum et excursions, superioribus diebus in propinquis locis factas, mulieres ac pueros ad mediterranea loca abduxerant. Ad quas terras delatus imperator, binis excursionibus ex utroque latere promontorii factis, cuncta depopu-
 20 latur, prostratis quaecunque igne aut ferro vastari poterant. Hic occisorum hostium, qui resistentes interfecti erant, allata sunt capita centum et triginta septem, caeterum captivorum magnus numerus, qui omnes sub hasta
 25 venditi, et pecunia inde exacta, facta etiam portione pontificiis ac regiis militibus, dividitur. Inde solvens imperator cum tota classe ad Naxon insulam venit: ibi enim onerariae naves pane onustae ex imperatoris iussu classem expectabant. Et quoniam autumnii ultimum tempus
 30 erat, regius dux accepta missione cum sua classe domum profecturus recessit. Pontificis legatus cum imperatore nostro, antequam hiems ingrueret, aliquod egregium facinus edere statuunt. Edoctus enim erat imperator Smyrnam, urbem Ioniae opulentissimam, male munitam esse.

Cuius maxima pars murorum ob vetustatem corruerat, quos cives, longa pace usi, restituere neglexerant. Et quoniam in longissimo sinu urbs sita est, et a frequenti navigatione multum recedens, bellum ne senserat quidem.
 5 Cives eius securi et absque metu vitam agebant. Igitur imperator, Naxo solvens, primum ad Psiram, insulam inhabitatam, vestigia tantum antiqui oppidi habentem, venit, inde nocturnis navigationibus tertia die appetente luce ad Smyrnam venit. Cuius pars in monte, maxima
 10 autem in plano sita est: sed montana melius habitata. Tunc nostri mature e navibus desilientes totam urbem corona circundant. Multi scalis, alii per ruinas murorum (nam, ut praedixi, pluribus in locis muri interrupti erant) muros ascendunt, in urbemque desiliunt. At Smyrnaei,
 15 subito et insperato malo oppressi, trepidi quid potissimum agant nesciunt: alii arma capiunt et ad ruinas murorum hosti occurrunt atque congregiuntur, sed a nostris et numero et virtute superati sine mora trucidantur, alii tecta ascendentes tegulis ac lapidibus nostros infestant.
 20 Mulieres quoque pavae cum adultis virginibus ad templa, quae illi moscheas vocant, concurrunt: passis crinibus, aras amplexantes, prophetam suum invocant. Multae cum parvis liberis domi se obstruunt. Nostri, urbe potiti, omnia depraedantes per totam urbem discurrent.
 25 Alii filios e complexu matrum abstrahunt, ipsas quoque matres capientes; alii muliebre turba de templis extrahunt, Machometum invocantem; reluctantes per crines apprehensas trahunt. Quaedam vidua, cum in monumentum viri sui incidisset, complexa monumentum,
 30 quasi vivum ad auxilium vocabat, subindeque dicebat: « En, quos nunquam vivos ulla vis separare potuit, nunc barbarus hostis dividet ». Et cum nullo modo inde abstrahi posset, miles stricto gladio sponte praebenti ac distendenti collum caput abscidit, inquires: « I nunc, et marito

tuo te consocia». Multi, mancipia spernentes, ornamenta mulierum pretiosa, vestes pictas cuiusque generis, vasa aenea Damasceno opere egregie caelata, auro argento-
 5 que distincta, ac aliam pretiosam supellectilem diripiunt ac distrahunt. Ubique gemitus, ubique luctus exauditur. Tota urbs planctibus atque ululatibus completur. Interim quidam, effugiens, praefecto urbis, quem illa gens subassam vocat, tunc in villa manenti nuntiat urbem captam ab hostibus atque direptam esse. At Balabanus (no-
 10 men id praefecto erat), convocata haud parva manu e proximis locis equitum ac peditum, instructa acie ad urbem subsidii ferendi gratia tendit. Tunc nostrae classis magister, qui cum equitibus et classariorum non parvo numero extra urbem ad resistendum, si qua vis ingrue-
 15 ret, paratus stabat, viso hoste obviam progreditur. Et cum iam prope essent, hinc inde edito magno clamore laxatis habenis atque adversis hastis concurrunt. Subsequuntur pedites, cruenta pugna committitur. Nostri vero milites, qui equitibus mixti erant, a duce edocti praelongis lan-
 20 ceis hostem in faciem feriebant. Pugnatum aliquamdiu est pari marte. Dum hostes acrius instant, Petrus Frasina, vir strenuus et inter equites nostros clarus, Balabanum, hostium ducem, gutture hasta transfixo equo deicit, ac reluctanti caput abscidit. Tunc alii alios aggredientes
 25 prosternunt, hostes multis obtruncatis in fugam vertunt. Deinde, fuis ac fugatis hostibus abscissisque interfecto-
 30 rum capitibus, victores laeti ad urbem redeunt. Tunc nostri maxime expoliata urbem supposito igne, omnia tecta atque aedificia concremabant. Itaque urbs antiqua, varia fortuna ac multis monumentis insignis, horarum spatio in cineres collapsa est. Hic vidimus multa antiqua monumenta quadrati lapidis ac marmore magnifice aedificata, quorum nonnulla corruerant, quaedam etiam extabant, inter quae Homeri monumentum cum statua

et inscriptione Graecis litteris. Ager quoque urbi circumiectus, optime excultus ac Melo fluvio interfluente irriguus, frequentibus villis habitabatur, quae omnia igne et ferro a nostris prostrata sunt. Delata sunt interfecto-
 5 rum hostium capita ducenta et quindecim; captivorum innumerabilis turba. Imperator, omni praeda navibus imposita, ad quasdam insulas olim habitatas, nunc desertas, tantum aquis cisternarum veterum abundantes, se contulit. Ibi expositi captivi posita hasta omnes venduntur.
 10 Reliqua praeda absque sorte militi concessa est, quod etiam imperator in reliquis excursionibus semper servaverat. Itaque quaestores iam ex consuetudine pecuniam omnem dividunt. Deinde quarta die imperator in Clazomeniorum agro copias exposuit, ad locum qui nunc caput Stilari dicitur. Clazomenae oppidum fuit in fine si-
 15 nus Smyrnaei positum, Anaxagora cive suo, qui Archelai phisici et Euripidis poetae praeceptor fuit, clarum. Et quoniam omnes circum adhaerentium locorum incolae, exemplo Smyrnae cladis perterriti, ad montana et mediterranea loca se contulerant, pauci qui ad custodiam domorum remanserant a nostri intercipiuntur. Abducta est tamen camelorum ac reliqui pecoris non parva copia. Quibus peractis imperator, quoniam iam hibernum
 20 tempus instabat, Peloponnesum versus cursum suum dirigit. Itaque subsolano flante cum legato Pontificis intra paucos dies Methonam delatus est. Et cum iam hibernum tempus adesset, legatus Pontificis, Romam redire studens, antequam recederet, complexo atque exosculato imperatore: «Habes – inquit – clarissime imperator,
 25 optimum testem virtutum tuarum. Pontifex et caeteri Italiae principes egregia tua gesta audientes me referente obstupescunt et admirabuntur. Perge, vir magnanime, ut coepisti: tua enim gloria immortalis futura est». Imperator etiam maiora, quam quae ipse de se sperabat, polli-

citus est, modo christiani principes Venetos suis opibus
ad conficiendum bellum iuvare velint. Quibus dictis di-
grediuntur: Cardinalis Italiam petiturus Methona solvit,
imperator cum tota classe se Neapolim, muniendae ur-
bis gratia, contulit.

LIBER SECUNDUS

Dum imperator operi instat, Antonius, magnae auda-
ciae ac strenuae virtutis adolescens, natione Siculus, au-
su(ru)s memorabile facinus ad eum venit. Narrat se
Chalcide a Turcis captum, exinde multo tempore Cali-
poli servum fuisse, dumque ibi degeret perspexisse nava-
lia Othomani Calipoli absque excubiis incustodita ma-
nere. Praeterea domum iuxta navalia esse magnam, ac
omni instrumento nautico refertam: velis, funibus et
caeteris ad instruendam classem necessariis, et quae pos-
sent supra centum triremes optime instruere. Paratum
se esse imperatori affirmat: domum illam cum tota classe
crematurum, modo necessaria ad rem peragendam sibi
tribuantur. Opus sibi esse piscatoria navi cum sex comiti-
bus, qua simulato mercatorio negotio castella Helle-
sponti, quae Dardanellos vocant, penetrare possit. Nam
Othomanus, ubi maxime Hellespontus coit, duo muni-
tissima castella ex utraque parte invicem opposita aedifi-
cavit, ad quae multas bombardas mirae magnitudinis
constituit, praefectisque castellorum mandavit, si qua
navis illis invitis transire vellet, bombardis fractam sub-
mergerent. Igitur imperator collaudato adolescente pro-
missis eum onerat, si ea quae animo conceperat exequere-
tur. Deinde ab eo quaesita mature expedit. Antonius
paratis necessariis intra paucos dies munitiones Helle-
sponti simulato mercatore superat, eadenque die Cali-

polim venit atque venalia poma exponit. Naviculam
enim his oneraverat, ut et mercaturam simulare et in-
strumenta rei necessaria tegere posset. Tum adveniente
nocte, vigilia secunda, ad domum exploratam et sibi co-
gnitam tendit, fractisque forcipe claustris domum intrat,
et pluribus in locis ignem supponit. Et quoniam, inter re-
liqua, picis ac sevi magna copia erat, ignis vehementi im-
petu absque mora cuncta comprehendit, flammamque
extra tecta vomere coepit. Dum Antonius ad navalia ten-
dit, navibus etiam ignem suppositurus, cives fragore
ignis exciti undique concurrunt. Antonius, turba ac cla-
more discurrentium civium perterritus, omissis navali-
bus, ad naviculam propriam confugit, atque Hellespon-
tum traicere studet. Iam ulteriori litori appropinquabat,
cum ignis temere per naviculum iactus pulverem sulfu-
reum comprehendens naviculam exurere coepit. Anto-
nius submersa navicula cum comitibus in terram desiliit,
et in proxima silva se abscondit. Interim domus cum om-
nibus, quae in ea erant, tota comburitur. Sequenti die su-
bassa urbis cuncta perscrutari iubet, si quo pacto incendii
auctorem invenire posset, praemia magna indicibus pro-
ponens. Cum ergo scrutatores primum poma fluitantia,
deinde naviculam submersam offendissent, animadver-
terunt mercatorem illum hesternum poma vendentem
tale facinus patrasse. Igitur armati ad persequendum An-
tonium mittuntur, qui, prodentibus eum vestigiis, quo-
niam per arenosam humum iter fecerat, confestim ad sil-
vam tendunt. Et iam ad latebras Antonii prope ventum
erat, cum Rado, magni animi adolescens, manu promp-
tus, natione Dalmata, Butuani oppidi accola, unus ex co-
mitibus Antonii, strenue mori cupiens, stricto ense in
hostes irruit, atque, duobus obtruncatis, ipse telis ac lapi-
dibus undique obrutus occiditur. Antonius cum reliquis
comitibus vivus capitur, vinctusque ad subassam perdu-